

134

132

138

128

143

123

183

083

233

033

Ende

Anfang

123

rum primum appellatur Phison, qui et Ganges; qui universam circuit Indiam, secum trahens arenas aureas et interpretantur caterva, eo, quod X flumina recipiat. Secundus Geon, qui et Nilus, totius orbis fluvius maximus, de quo patet in continuo. Tertius Tigris, qui et Dilach dicitur, quod sonat acutus, eo, quod velocissimus sit. Quartus Euphrates qui frugifer sonat, quia, sicut Nilus, uberrimam terram, quam irrigat, reddit. Duo ultima flumina, Tigris et Euphrates, mille et quingentis stadiis ab invicem distant, delatique per Medorum regiones descendunt in Mesopotamiam, circumdantes eam, cui et nomen praebent, et inde per Babyloniam fluentes in mare rubrum deferuntur.

Haec sane quatuor flumina ab eodem paradiſi fonte emanant et separantur et iterum eorum quaedam inter se commiscentur, iterumque separantur, saepe etiam absorbentur et locis rursum in pluribus emergunt. Et inde est, quod de eorum ortu varia leguntur. Certissimum tamen est, omnia de paradiſo effluere. Ascensus autem ad locum emanationis eorum primarium est impossibilis; hoc patet dupli ci historiā. Prima habetur in parte prima Vitarum Patrum fol. 115. de Sancto Machario Romano, qui conabatur adire paradiſum et per mirabilia et nimis horribilia loca venit ultra hominum habitationes prope paradiſum, sed non fuit permisus accedere, sicut nec illi quinque monachi, qui per flumen Euphratem in finem terrae conabantur venire, sed ultra cellam Macharii non poterant procedere. Secunda historia est vulgaris. Dicunt enim, quod quidam Aegypti rex, audiens, Nilum e paradiſo profluere, conatus est ejus primariam originem quaerere. Misit autem multos viros fortes et prudentes cum expensis copiosis et cum litteris promotoriis ad reges, per quorum regna erant transituri. Cum ergo multa regna percurrisserent ad littora Nili, cumque aliquotiens perdidissent et reinvenissent, ultimo perducti sunt in regionem, in qua immensam repererunt paludem, repletam paludalibus virgultis et magnis (118 a) arundinibus condensatis, et de illa palude arundinosa prodibat fluvius, cuius caput quaerebant, nec poterant incolae dicere, quid post illas paludes esset, tum quia erant paludes latissimae per multa terrarum spatia protensa, tum etiam, quia nulla navis videbatur posse arundinetum et herbas in palude crescentes penetrare. Nuntii autem illi, quod suum erat facere cupientes, fabricare fecerunt acutas naviculas in prora,

